



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

Subdiaconus vel Diaconus, antequam ad superiorem Ordinem
promoueat, quales sibilibros comparare debeat, n. 17.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

XVII. Ne quis statim à stinâ ad sacros Ordines prouehatur, & qui paulò antè adhuc totus sæcularis erat, cum scandalo & offensione populi breui post temporis interuallo Sacerdos ordinerur, antequam satis probatus sit, & in vnoquoque munere, iuxta approbatos à Sancta Ecclesia Catholica ritus & cæremonias exercitatus; volumus vt nemo deinceps Subdiaconus, vel Diaconus ad superiorem Ordinem promoueatur, nisi ante Bartholomæi Gauanti Commentarium in Rubricas Missalis, vel Compendium Cæremoniarum in celebratione Diuinorum officiorum obseruandarum ex præscripto Cæremonialis ac Missalis Romani Antvverpiæ excusum, & Directorium Sacerdotale, continens ritus ac regulas Missas deuotè celebrandi, atque ministrandi, Colonia editum, sibi comparauerit, & ex ijsdem ritus atque cæremonias Sacrificij Missæ priuatæ ac solemnis perfectè didicisse, in examine ordinandorum debitè probauerit, nec non iuxta eorundem præscriptum, in Ecclesia, cui ordinandus est adscriptus,

aut alia, Ordinis, in quo est cōstitutus, ministerio laudatè fuerit functus; vetat enim antiquitus in Ecclesia Dei obseruata consuetudo, eos ad superiores Ordines promoueri, qui in minorum functione se non declarauerint idoneos.

Ad Ordines sacros non admittentur nisi qui attulerint testimonia hic prescripta.

XVIII. Sciant igitur promouendi ad singulos Ordines maiores neminè à nostro in Pontificalibus Vicario deinceps Ordinandum, nisi examinandus exhibeat eidem nostro Vicario fidedigna testimonia, quod à nouissimo ordine suscepto honestè ac laudabiliter vixerit, Clericalem habitum ac Tonsum semper detulerit, horas Canonicas quotidie recitauerit, in ordinibus susceptis se ritè & debitè exercuerit, sæpius sacram Eucharistiam sumpserit, atque nouas proclamationes (sicut supra n. 13. & 14. & seq. prescribitur) curauerit in Ecclesia Parochiali sub
quâ